Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1063

Quelle:
Copyright:

μον τον καλεμενον Δανιδιν &c. Abrumpitur in *Codice* in his verbis: *Nos talia nunquam audivimus, qualia a te* (o Juda!) *hodie audire potuimus.* (Ημεις τοιαυτα ουκ ηκουσαμεν, οια παρα σου νυν.)

CCCCXLVI.

U. 202 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. exeuntis Folior. 264. 4. currente calamo exaratus, rubricisque distinctus *Homiliarium* et *Lectionarium* est, conscriptum olim, ut videtur, in usum cujusdam Coenobii O. S. *Benedicti*, ab Adventu pertingens usque ad Quadragesimam. Patres, quorum aut integros Sermones, aut Excerpta recepit, sunt: *Maximus, Leo, Augustinus*, et hi quidem plurimam facientes paginam, *Fulgentius, Isidorus, Severinus, Johannes Chrys. Sedatus, Faustus, Faustinus, Ambrosius. Augustini* multa non esse genuina et in Edit. *Maur. Adpendicibus* quaerenda facile quis secum statuet. Sed et ad reliquos ordine *Codicis*, qui Articulos ultra CXXX. complectitur, quaedam erunt observanda. *Fol.* 21. habentur *Lectiones in Natali Domini* ex *Isaia* pro nocturno Officio. *Fol.* 72. Sermo *Isidoro* inscriptus et incipiens: *Oportet nos fratres karissimi gaudere et exultare* &c. recensensque ostenta in Domini Nativitate *Romae* exhibita, spurius est. *Fol.* 87. p. 2. Sermo alter eidem tributus: *Johannes apostolus et ewangelista filius Zebedei* &c. est C. 73. Libelli ejusdem *de Vita et Morte Sanctorum*, edit. *Breul.* p. 541. *Fol.* 88. *De ecclesiastica Historia.* Est *Eusebii Pamph.* L. III. c. 23. Narratio nota de Juvene ab *Johanne Evang.* adamato. *Fol.* 89. p. 2. *In natali innocencium sermo sancti Severini*, est Sermo ille incipiens: *Zelus quo tendat, quo prosiliat liuor* &c. qui legitur inter Sermones *Petri Chrysol. n.* CLII. et in *Alcuini Homiliario*, referturque a quibusdam ad *Severianum Gabalorum* Ep. olim ex amico *Johannis Chrysost.* aemulum; ab aliis vero, quoniam graece non extat, ad latinum potius hominem, et memorat *Ducangius* ex Biblioth. *Sangermanensi Severini* cujusdam *Abbatis Sermones* in hoc Festum. *Fol.* 99. p. 2. Sermonem *sancti Sedatii de kal. Januarij* ita quidem etiam inscriptum testantur in perantiquo Codice *Floriacensi* Editores *Augustini Mauriani;* dubitant autem, an non potius legendum sit *Cesarii.* Ab *Augustino* certe abjudicantes in T. V. *Adpend. col.* 235. locarunt, interim non ignari extitisse *Sedatum* quendam *Biterrensem* Ep. uti et *Nemausiensem*, quorum ille a. 589. Concilio *Toletano* et *Narbonensi*, hic vero a. 506. *Agathensi* et a. 507. *Tolosano* interfuit. In ipso Sermone *Codex* noster non *Juvencam* aut *Anulas*, aut *Agniculam* sive *Amniculam*, sed *Anguiculam* legit, et finem versus omittit *quintam et sextam feriam. Fol.* 104. habentur Lectiones ex *Isaia In die sancto theophaniae. Fol.* 111. Sermo inscriptus *Maximo* est *Leonis* XXXIII. et III. *de Epiphania. Fol.* 115. eodem modo